


Dissertatio Theologica De Imagine Dei In Homine

Francofurti ad Viadrum: Literis Johannis Christophori Schwartzii, 1712

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862672422>

Druck Freier  Zugang





94

Fa-1092 (94.1)

DISSERTATIO THEOLOGICA
DE

**IMAGINE DEI
IN HOMINE,**

Quam

DIVINI NUMINIS AUSPICIIS

IN UNIVERSITATE FRANCOFURTANA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

AUGUSTO & SERENISSIMO REGIO PRINCIPE ac DOMINO,

DN. FRID. WILHELMO,

REGNI PRUSSIAE AC ELECTORATUS BRANDENBURGICI
HEREDE &c. &c.

PRÆSIDE

BARTHOLDO HOLTZFUS, D.

PROF. THEOL. atq; Ecclesiae ORD.

FAUTORE ET PRÆCEPTORE SUO

ætatem colendo,

Ad Diem XIX. Februar. Ann. MDCCXII.

Publicæ Eruditorum disquisitioni

submittit

GEORG. REINHOLDUS MÜCKE,

Sonnenburgo-Marchicus.

*****:*****

FRANCOFURTI ad VIADRUM,

Literis JOHANNIS CHRISTOPHORI SCHWARTZII.

1580 1000 1000 1000

MAAGIEN
IN HOMINE

BARTHOLOMÆUS
DE BILMUNDE

DE BILMUNDE
DE BILMUNDE

DE BILMUNDE
DE BILMUNDE

DE BILMUNDE

DE BILMUNDE
DE BILMUNDE

DE BILMUNDE
DE BILMUNDE

DE BILMUNDE
DE BILMUNDE

DE BILMUNDE

DE BILMUNDE
DE BILMUNDE

DE BILMUNDE
DE BILMUNDE

DE BILMUNDE

DE BILMUNDE
DE BILMUNDE

DE BILMUNDE
DE BILMUNDE

DE BILMUNDE
DE BILMUNDE

DE BILMUNDE
DE BILMUNDE

DE BILMUNDE
DE BILMUNDE



DISSERTATIO THEOLOGICA
De
IMAGINE DEI IN HOMINE.

§. I.



Vocum Hebraicarum de Imagi-
ne DEI, in Codice sacro occur-
rentium prior est כְּהָרַב Chald.
 כְּהָרַב & נִפְחָרַב quæ Opus ali-
quod substantiale manuum Ar-
tificis, ex Metallo vel alia ma-
teria, licite vel illicite, fabrica-
tum, ad aliquid repræsentan-
dum, nempe *Imaginem, Statuam, Effigiem, Picturam, Sculptile, Figuram, Conflatile, Fusile, quin & Idolum &c.* plerumque significat, ut Dan. 2, 31. 32. 34. 35. *Tu Rex, videbis, & ecce quasi Statua (Imago) una grandis: Statua illa magna. Hujus Statuæ caput ex auro optimo erat. V. 34. percussit Statuam s. Imaginem in pedibus ejus ferreis & fictilibus. &c. add. c. 3, 1. 2. 3. 18. I Sam. 6, 5. Philistæis, propter Arcam captam & detentam, hæmorrhoidibus & muribus punitis, consulebatur: Facietis Imagines hæmorrhoidum vestrarum & imagines murium vestrorum, qui corrumpunt hanc terram, & dabitis DEO Israel gloriam. & Num. 33, 52. Israelitis edicitur: Confringite omnes effigies eorum & Statuas (Imagines)*

(4.)

gines) *comminuite*. add. Ezech. 16, 17. c. 23, 14. De Hominibus usurpatur partim respectu *Generationis*, ut Gen. 5, 3. *Adam genuit ad imaginem & similitudinem suam, vocavitque nomen ejus Seth.* partim respectu *Creationis*: Gen. 1, 26. *Faciamus Hominem ad Imaginem & similitudinem nostram.* v. 27. *Et creavit Deus hominem ad Imaginem suam: ad Imaginem DEI creavit illum: Mascululum & feminam creavit eos.* Vox Hebr. *Posterior* hic occurrens est *דמות* *Similitudo* a rad. *דמה* similem esse ac transitive *asimilare*. Græce vocatur *εἰκὼν* ab *εἰκω* *similis sum*. Latine, *Imago*, quæ vel à Græco *εἰγμα*, quod est ab *εἰκω*; vel ab *imitatione* dicitur qf. *Imitago*, secundum Festum.

§. II.

Non de nihilo est sententia Patrum plerorumq; Origenis, Basilii, Gr. Nyseni, Theodoretii, Eucherii, Ambrosii, August. Bernhaldi, Ruperti, hincq; Lombardi, Scholasticorum ac Doctorum Ecclesiæ Rom. Bellarm. de Grat. Primi Hom. c. 2. Petavii, Dogm. Theol. T. 3. de Opif. sex Dieb. l. 2. c. 3. §. 4. c. 4. §. 6. aliorūq; *צלם & דמות* *Imaginem & Similitudinē* ita differre; ut *illa* ad naturam Animi, Intelligentiæ & Voluntatis, adeoque ad substantiam Animi; hæc autem ad dotes, Proprietates ac Virtutes, Sapientiam, Justitiam ac Dominium in bruta, referenda sit: Tam enim voces Hebrææ diversis radicibus constant, quam Latinæ diversam originem habent. præterea Animus ejusque facultates, Intellectus & Voluntas, spiritualis naturæ sunt, quarum respectu homo ad Imaginem initio creatus dici potuit, & post lapsum adhuc conditus dicitur Gen. 9, 6. Jac. 3, 9. quod, amissa rectitudine Intellectus & Voluntatis,
non

(5.)

non nisi de substantia Animi, ejusque facultatibus, dici potest. Quia tamen Voces *Imaginis* & *Similitudinis*, Gen. 1, 26. conjunguntur: *Faciamus hominem ad imaginem nostram, secundum Similitudinem nostram.* & vox solius *Imaginis* v. 27. duplicatur; *Creavit DEUS hominem ad Imaginem suam; ad Imaginem DEI creavit illum;* præterea Gen. 5, 3. *Similitudinis* nomen solum usurpatur; hinc duo hæc vocabula hic non inconcinne, exegetice per Hendyadin, explicari possunt, ita ut *Imaginem* Archetypo simillimam dicant. quod fatetur *Petavius, Theol. Dogm. Tom. 3. de Opific. sex. Dier. l. 2. c. 2. §. 12. 13. & c. 4. §. 13. 14.*

§. III.

Sumitur Vox Imaginis 1. pro evanida & umbratili rerum specie Pl. 39, 7. ubi David docet, plerisque homines, neglecta solida ad finem suum spectantium cognitione, ex caligine mentis rebus vanis & nihil solidi habentibus se frustra fatigare non sine strepitu ac tumultu. add. Pl. 73, 20. 2. Pro ipsa rei adumbratæ substantia, Hebr. 10, 1. *Umbram habebat Lex futurorum bonorum, non ipsam Imaginem rerum.* 3. Pro convenientia unius rei cum alia; ubi duo requiruntur 1. convenientia & similitudo, sic ovum ovo simile est. 2. Expressio ad rem similem: sic ovum ovi imago non est, quia alterum ad alterum expressum non est.

§. IV.

Porro Imago denotat ipsum *Prototypon* s. Exemplar, ad quod *ectypon* expressum & formatum est, quo sensu homo factus dicitur ad *Imaginem DEI*; vel significat *Ectypon* quod ad Exemplar alterius expressum est, quo sensu homo *DEI Imago* vocatur.

A 3

§. V.

(6.)

§. V.

Tandem *Imago DEI* accipitur 1. pro ipsa animæ rationalis essentia, quo sensu Bernhardus post Mo- sen Gen. c. 9, 6. & Jac. 3, 9. accepit Serm. 1. de An- nunciat. *Imago Dei in gehenna ipsa videri poterit, non exuri, ardere sed non deleri, & quocunque perveniet anima simul & ipsa erit.* Quo sensu sane dici non potest, Imagi- nem DEI per lapsum vel post lapsum esse amissam, cum homo post lapsum etiam animam rationalem habeat, neque in aliam speciem mutatus sit. 2. Pro dotibus homini in creatione concessis; sicque rur- sus vel synecdochice pro sola Justitia originali; vel complexe & adæquate pro omnibus dotibus, quo- quo modo ad imaginem DEI pertinentibus, quales non solum sunt perfectiones intellectus & volunta- tis, sed & rectitudo affectuum ac dominium in bruta.

§. VI.

Hominem ad Imaginem DEI creatum esse, cla- rissime constat ex Gen. 1, 26. 27. c. 5, 1. c. 9, 6. Jac. 3, 9. Eph. 4, 24. Col. 3, 10.

§. VII.

Ex quibus sacrarum literarum locis liquido constat, quod *Imago DEI sit* conformitas hominis cum Deo quoad animam & inprimis quoad animi dotes, sapientiam, Justitiam & sanctitatem, homini a Deo ad Dei gloriam & salutem suam æternam collata.

§. VIII.

Causa efficiens Imaginis hujus est Deus, Gen. 1, 26. 27. quod inde patet, quod DEUS dicitur homi- nem *ad imaginem suam creasse*, & quia hæc similitudo Imago DEI, & homo ad imaginem DEI conditus di- citur.

(7.)

citur. Item, quia DEUS imaginem suam in homine lapso per Verbum & Spiritum suum renovat & restaurat Eph. 4, 24. Col. 3, 10. 2 Cor. 3, 18.

§. IX.

Causa intrinsece *movens* est DEI summa Bonitas. Nam quo quodque magis est bonum eo magis est sui communicativum; Cum itaque Deus infinite bonus sit, hinc quoque Bonitatis suæ maxime communicativus existit ac summum desiderium habet Bonitatem suam communicandi.

§. X.

Subjectum Denominationis s. *Quod*, est totus Homo, qui proinde ad imaginem Dei conditus dicitur: & quidem non tantum *mas*, sed & *femina*; quod observandum 1. contra *Encratitas* ac *Severianos*, qui mulieres tanquam impuras & per se malas creaturas damnarunt. Vid. Irenæum l. 1. c. 31. Euseb. Histor. Eccl. l. 4. c. 27. Augustin. de Hæres. c. 24. 25. ap. Danaum. 2. contra *Judeos*, qui negant Evam ad Imaginem Dei conditam, quia neque æquali gradu perfectionis cum Adamo creata fuerit, neque arcana sapientiæ viderit; sed Viro in adjutorium, & ad conservationem speciei producta fuerit; quare nomen Gen. 1, 27. pro Adami persona accipiunt: atque in Precibus matutinis Viri Deo gratias agunt, quod non sint feminae creatæ: quod & fecit Plato. 3. Contra *Diodorum Tarsensem* qui mulierem ad imaginem DEI conditam negavit, teste Petavio Theol. Dogm. lib. 2. de Opific. sex dier. c. 3. § 2. 3. Contra *Theodoretum*, qui Quæst. 20. in Gen. Imaginem Dei ad solum virum restringit. & *Autorem Quæstionum Vet. & Nov. T.* quæst. 21. 24. 25. ubi solum Virum ad imaginem Dei conditum

ditum docet. 4. Contra *Socinianos*; qui, ex hypothesi, imaginem Dei in dominio consistere, quod mulieribus non competat, mulieres ad imaginem Dei factas negant. 5. Possemus huc referre Auctorem Tractatus: *Mulieres non esse homines*: nisi hic Auctor se indirecte hoc Argumento AntiTrinitarios oppugnaturum ipse profiteretur, §. I. 5. quo prætextu tamen longius provehitur justo.

§. XI.

Affirmativa probatur 1. ex Gen. 1, 26. *Faciamus hominem ad imaginem nostram*. ubi nomen *Adam* non est Proprium, sed Appellativum, speciei totius significativum. 2. Ex v. 27. ubi conceptis verbis dicitur: *masculum & feminam creavit eos*. sc. ad imaginem suam; ut ante proposuerat. 3. Ex Gen. 2, 18. ubi *Eva* appellatur adjutorium s. auxilium coram ipso, s. conveniens & simile ipsi, sc. Adamo. quod de similitudine & convenientia naturæ, qualitatum & membrorum, etiam genitalium, intelligendum. 4. quia in mulieres peccatum originale propagatum fuit. 5. quia imago Dei in mulieribus renovanda, ex Eph. 4, 24. Col. 3, 10. 6. quia *fœminæ* heredes sunt æternæ vitæ, 1 Pet. 3, 7. 1 Tim. 2, 15. Neque adverbatur Apostolus 1 Cor. 11, 7. inquit: *Vir est imago & gloria Dei, mulier autem gloria Viri est*. nam *Mulier* bifariam considerari potest: Vel *secundum Speciem*, quat. homo est; atque eatenus non minus ac *Vir* ad Imaginem Dei condita est, cum hic etiam valeat, quod legitur Gal. 3, 28. *Non est mas, neq; femina*. Vel *secundum sexum ac statum Conjugalem*, quat. *Marito* subiecta est; atque eatenus non est *Imago Dei*, sed *gloria Viri*: nam non subiectio & obedientia; sed potestas

testas atque Imperium refert Imaginem Dei. Ast Vir utroque respectu, & qua homo, & qua Maritus est Imago Dei, quando prudenter & juste imperat uxori.

§. XII.

Subiectum Inhaesionis s. Quo, remotum, est Animus, in cuius substantia Spirituali Imaginem Dei consistere, vel inde patet, quia Gen. 9, 6. & Jac. 3, 9. homo post lapsum etiam ad imaginem Dei factus dicitur. Proximum est I. *Intellectus*, in quo erat non omnium rerum ignorantia puerilis, ut sentiunt 1. *Judei* quidam, qui volunt Scientiam rerum ex esu Arboris Scientiae demum comparandam fuisse. 2. *Gentilium* Sapientes, qui primos homines ignorantia vitiorum, multarumque aliarum rerum, adeoque simplicitate innocentes fuisse credunt: quibus assentitur *Theophilus Antioch.* ad Avtolycum lib. 2. p. m. 102. *Procopius* in h. l. & *Grotius* de J. B. & P. l. 2. c. 2. §. 2. qui & *Discuss.* p. 30. ad *Theophilum* provocat. 3. *Pelagiani*, verbis infra producendis. 4. *Sociniani*, qui volunt, Adamum, simplicem, ex esu fructus vetiti Scientiam boni & mali consecutum esse: *Volkel.* de V. R. l. 5. c. 9. p. 407. 408. quibus non contradicunt *Remonstrantes*, *Curcell.* R. Chr. l. 3. c. 13. §. 3. Sed notitia Divinae Voluntatis. quod patet 1. ex admonitione *Apostoli*, Col. 3, 10. *Induite novum hominem qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus qui creavit illum.* 2. quia *Sapientia* fuit *fundamentum Domini*, quod in omnia animalia habuit Adamus, Gen. 1, 26. & sine quo dominium illud exercere non potuisset. 3. ex nominum impositione adductis animalibus facta, quae Scientiam Adami testatur. unde *Aben Ezra* ex hac

impositione nominum colligit, Adamum fuisse *Sapientem maximum vel hominum Sapientissimum*. Menasseh ben Israel lib. de Fragilit. hum. Sect. 4. §. 3. p. m. 33. *primum rerum naturalium Professore*, vocat. Plato iudicavit, *videri sibi eam naturam, quæ rebus nomina imposuerit, fuisse celsiorem hac humana*. & Cicero l. i. Tusc. qu. c. 25. quærit: *Quis primus, quod summa sapientiæ Pythagoræ visum est, omnibus rebus imposuit nomina?* Juxta Platonē in Cratylo, *hæc impositio nominum ἡ φωνῶν ἀνθρώπων, non est futilium hominū*. quod hic ed evidentiūset, si cum Bocharto multa nomina ex natura rei petita putentur, v.g. *Brutum* vocatur בעיר a *stupore*, בהמה a *silentio* quia bruta cum homine collata & stupida & muta sunt. Sic *Camelus* dicitur גמל a retribuendo s. rependendo, quia injuriarum est memor; *Ciconia* חסירה propter ἀντιπελαργίαν; *Milvus* ראה a visu acutissimo, & ראה a volatu alto & diuturno; *Pelecanus* קאת a vomitu, quia conchas jam absorptas revomit, quando calore ventris apertæ sunt, ut esculenta ex iis legat; *Formica* נמלה quia abscindit capita spicarum, ut grana eliciat. Vid. Bochart. Hierozoic. l. i. 19. 3. ex Evæ nunquam visæ agnitione Gen. 2, 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis; & caro de carne mea hæc vocabitur Virago, quoniam de Viro sumpta est*. 4. ex prædictione firmitatis vinculi conjugalis, Gen. 2, 24. *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una*. Sapientia hac Adamus quoque Deum tam absolute quam relate cognovit.

§. XIII.

Nec tamen solum *finita & limitata*, sed & *graduū & augmenti susceptiva* fuit hæc Scientia Adami.

(II.)

mi. Non enim omnia scivit, sed quæ necessaria erant in eo statu, in quo Deus eum collocaverat. Præterea habebat capacitatem ad scientiam ulteriorem acquirendam vel per revelationem, vel per rationationem, vel per informationem vel per experientiam & propriam observationem. Nec statui huic repugnabat Ignorantia, quam vocant, puræ negationis, sed pravæ dispositionis.

§. XIV.

II. *Voluntas*: in qua eluxit conformitas cum Justitia & sanctitate Dei, & Libertas i. e. propensio naturalis ad bonum & promptitudo ad perficiendam Dei voluntatem. Rectitudinem hanc probat Moses Gen. 1, 31. *Et vidit Deus cuncta, quæ fecerat, Et erant valde bona.* homo ergo etiam bonus ac perfectus, non solum corpore sed & animo, nec tantum naturaliter sed & moraliter talis fuit, quia sine bonitate mentis & morali scopum a Deo sibi propositum assequi non potuisset. 2. Salomon Eccles. 7, 30. *Fecit Deus hominem rectum.* quod LXX. hic redderunt *εὐθεῖν*, alias verò, pro substrata materia, verterrunt, *καλόν, ἀγαθόν, καθαρόν, δίκαιον.* 3. Paulus Eph. 4, 24. *Induite novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia & Sanctitate veritatis.* 4. quia conditus fuit ad Creatorem suum agnoscendum & colendū: itē ad dominiū in creaturas reliquas juste exercendum; quorum neutrum præstare potuisset, nisi tam justitia Originali, quam Sapientia præditus fuisset.

§. XV.

III. *Appetitus* sensitivus, in quo erat conformitas cum superioribus facultatibus animæ rationalis, adeoque affectuum & cupiditatum cum recta rati-

B 2

one

(12.)

one & Voluntate Harmonia; qua membra appetitui; appetitus Voluntati, Voluntas rectæ rationi, ratio Voluntati Divinæ subiecta erat. Harmonia hæc membrorum cum affectibus & affectuum cum ratione elucebat ex absentia pudoris in nuditate, Gen. 2, 25. quem locum Thargum Hierosolymitanum ita *וְהָאָדָם וְהַחַוָּה עָרְוֹתָא*: *Erant ambo nudi & nesciebant quid esset opprobrium vel pudor.* hinc Augustin. de Gen. ad lit. c. 1. *Nihil putabant velandum, quia nihil sentiebant refrenandum.*

§. XVI.

Subiectum secundarium Imaginis Divinæ est Corpus primorum Parentum. Hujus tres præcipue dotes prædicant Judæi, Pulchritudinem, Proceritatem & Splendorem; vid. Menasse ben Israel de Fragilitate humana ex Lapsu Adami Sect. 4. §. 4. 5. 6. p. 34. 35. 36. De Corporis *Pulchritudine* dubitandum non videtur. Nam cum Corpus Adami ex ipsis Creatoris manibus prodierit, procul dubio partium & membrorum exactissima fuit symmetria, filum corporis subtilissimum, Temperamentum humorum ordinatissimum, sensus acerrimi, majestas vultus singularis. unde fluxit, quicquid in genere humano fuit, est & erit formæ præstantis, & quicquid est deformitatis, non est nisi recessus a prima illa perfectione.

§. XVII.

Statura Adami non quidem fuit pusilla: nam de hominibus post lapsum dictum est: *Terra malos homines nunc educat atque pusillos.* Nec tamen admittendus est excessus Judæorum quorundam, statuentium, Adamum primum ab uno mundi fine ad alterum

terum usque mundi finem creatum; s. staturam ejus a terra usque ad cœlum exporrectam fuisse; Nam de ejusmodi plusquam Gigantea statura Scriptura plane filet, quare ex ipsis Judæis quidam volunt hyperbolicis hisce locutionibus exquisitas Adami perfectiones & virtutes, Scientiam & justitiam, intelligendas esse. *Splendor* i. e. Claritas Corporis primi hominis hæctenus etiam admitti potest, quatenus ex eo resplenduit singularis majestas, ex qua factum est, ut reliquæ creaturæ dominio ejus lubentes se subjicerent eique sponte morem gererent.

§. XVIII.

Indigebat quidem homo in hoc statu mediis conservantibus ad continuationem & sustentationem Individui & speciei v. gr. cibo & potu aliisque necessariis; indeque alterationes physicæ, ut nutritio, augmentum, & generatio in eo locum habebant. Non naturam tamen, sed ex peccato, proxime *mortale* factum est.

§. XIX.

Quod ut recte intelligatur notandum est, hic non quæri 1. de *Immortalitate essentiali, ac absoluta* & omnimoda impotentia moriendi, quo sensu solus Deus est immortalis, 1 Tim. 6, 16. sed de immortalitate comparata & participata; nec 2. de immortalitate s. impotentia moriendi ex beneficio Creationis propter essentiam spiritualem; quo sensu Angeli, & Animæ rationales sunt immortales. 3. nec de immortalitate *gloriæ* s. impotentia moriendi ex DEI ordinatione singulari; quo sensu beati in futura vita erunt immortales: de qua Augustinus de C. D. lib.

ult. Cap. ult. ait: *Prima Immortalitas erat posse non mori, sed novissima erit non posse mori.* nec 4. de mortalitate *remota*, quo sensu mortale est, quicquid ex elementis & materia terrena compositum; quod & in Corpore Protoplastorum locum habuit; sed de Mortalitate *proxima*, a qua actus immediate pendet, & quæ infert necessitatem moriendi. *Pelagiani* affirmarunt mortem esse sequelam naturæ, non pœnam peccati; quos sequuntur *Sociniani*. Socin. Prælect. c. 1. 2. & de Statu primi hom. contra Pucc. 57. Smalcius de Divin. J. C. c. 7. p. 25. quibus hic accedunt *Remonstrantes* Apol. Conf. c. 3. fol. 56. 57. 59. Curcell. Instit. Rel. Christ. lib. 3. c. 8. §. 12. Limborch. Theol. Christ. lib. 2. c. 24. §. 10. 11. item *Mennonitæ*.
§. XX.

Contra quos Immortalitatem primorum parentum probamus 1. quia mors in sacris literis, ut pœna peccati proponitur Gen. 2, 17. *Quocumque die comederis ex ligno eo, morte morieris.* c. 3, 19. *pulvis es & in pulverem reverteris.* Rom. 5, 12. *Sicut per unum hominem peccatum in mundum intravit & per peccatum mors, ita in omnes homines mors pertransiit.* c. 6, 23. *Stipendium peccati, mors.* 2. Quod est contra naturam & contra naturæ inclinationem & appetitum, id non est sequela naturæ. Atqui mors est contra inclinationem & appetitum naturæ & contra naturam; cum sit naturæ destructiva. 3. Nulla causa mortis in homine, poni potest, neque interna neque externa, cui Deus in statu illo remedium & impedimentum non ordinaverit. Cum enim homo ordinarie ex quatuor potissimum causis moriatur: vel 1. vi externa; vel 2. fame vel siti; vel 3. intemperie & lu-
cta

Et a humorum vel perturbatione affectuum; vel a
 senio ac debilitate naturæ; omnibus his causis salu-
 tari remedio prospectum erat. & primo quidem sci-
 entiâ & sapientiâ sibi a Creatore collata cognosce-
 re & evitare poterat quicquid nocivum & perni-
 ciosum erat; Dominio autē in bestias aliaq; inferiora,
 vim externā, si qua ingrueret, propulsare potuisset;
 ne autem dormienti adversi quid accideret, Provi-
 dentia & cura divina, quin & præsidium Angelorū
 contra Dæmonum insultus vigilabat; ab hominib9
 nihil timendum fuit, quia inter eos pax & concor-
 dia regnasset. 2. ne fame periret, DEUS fructus
 Paradisi omnis generis concesserat, Gen. 2, 16. *de o-*
mnino ligno Paradisi comede. 3. *δυσκρασία* s. intemperiei
 & ludæ humorum, ac pugnæ & perturbationi affe-
 ctuum obstabat Justitia originalis, quæ corpus ani-
 mo subiciebat, inordinatos affectuum motus impe-
 diebat, & harmoniam universalem in homine con-
 servabat. 4. *ἐυκρασία* illa s. temperamentum opti-
 mum, it. Justitia orig. etiam senium exclusisset; &
 præterea *lignum vitæ* senectutem, languorem & dis-
 solutionem membrorum corporis impedivisset; au-
 ctore Augustino lib. 14. de Civ. DEI c. 26. *Cibus ade-*
rat, ne esuriret, potus, ne sitiret; lignum vitæ, ne illum se-
necta dissolveret; nullus intrinsecus morbus, nullus ictus me-
tuebatur extrinsecus.

§. XXI.

Ex his omnibus resultabat Conformitas quoad
 totam personam, quæ consistit in Dominio in Bruta, Gen.
 1, 26. 28. cujus dominii vi bruta statim ad Adamum
 accesserunt, ut nomina ab eo acciperent, Gen. 2, 19.
 quod

quod repetitur Gen. 9, 2. ejusque reliquæ adhuc super sunt in homine post lapsum.

§. XXII.

Forma itaque Imaginis Divinæ consistit *primario* in convenientia hominis cum Deo, tum respectu ipsius Animi, tum facultatum ejus, Intellectus & Voluntatis, & quidem respectu illius ratione Cognitionis; respectu hujus vero, ratione Justitiæ & Sanctitatis, atque in Dominio in Bruta. & *secundario* in Symmetria exacta partium & Corporis membrorū.

§. XXIII.

Finis, respectu DEI est hominis ad consortium æternæ Beatitudinis evectio, atque hac in re, Bonitatis, sapientiæ & potentiæ divinæ declaratio. respectu hominis, est Dei ut Creatoris agnitio, dilectio & glorificatio.

§. XXIV.

Adjuncta sunt 1. *Naturalis* vel *Supernaturalis* imaginis divinæ, in specie, Justitiæ Originalis *inbasio*. Ecclesiæ Rom. Doctores volunt, Justitiam originalem Protoplastis non fuisse naturalem, sed adventitiam ac supernaturalem, concessam eis ut *frenum*, reprimendis Concupiscentiæ motibus, & ut *remediū* adhibitū morbo s. languori naturæ humanæ, qui ex conditione materiæ oriebatur; vel ut *sertum* capiti virginis impositum in ornamentum; vel ut *vestem*, homini circumdatam; vel ut *antidotum*, morbo ex visceribus hominis erupturo reprimendo idoneum. Vid. Bellarm. de Grat Prim. hom. c. 5.

§. XXV.

Nos distinguimus 7^o *Naturale* in id quod tale est
1. *Constitutive* vel 2. *consecutive*, quod naturam rei ut
pars

pars essentialis constituit; aut quod modo physico
 i. necessario, ex naturæ humanæ principiis, fluit;
 quo sensu Protestantes Justitiam Originalem natu-
 ralem fuisse merito negant: eoque sensu sententiam
 damnatoriam Pii V. & Greg. XIII. effugiunt. & in
 id quod tale est 3. *Originaliter*, quod a prima homi-
 nis primi origine ei fuit a Deo inditum, & concre-
 atum, sicque ad naturam ejus integram & sanam
 spectavit. & 4. *subjective*, quod erat in anima ejus
 partim *perfective*, quia naturæ ejus consentaneum
 erat, eamque ornabat ac perficiebat; partim
transitive, quia Justitia hæc ad posteritatem Adami
 transmittenda erat, dos futura non individui, sed
 speciei, si homo in obsequio & integritate perstitis-
 set. licet rectitudo illa *supernaturalis* appellari possit
 ac debeat ratione Status corrupti, cui ex peculiari
 divino beneficio & ab extrinseco tantum accedit.
Spanhem. Syntagm. Dispp. Vol. I. Disp. de Creat.
 Hom. & Imag. Dei th. 17. & Disp. de Stat. Hom. tum
 integri, tum Corrupti th. 21.

§. XXVI.

Rationes asserptionis nostræ sunt 1. quia ex Gen.
 1, 31. talis procul dubio fuit relatio *Bonitatis* ad homi-
 nem, qualis fuit relatio *Bonitatis* ad reliquas crea-
 turas; At reliquis creaturis Bonitas concreata
 fuit talis, qua scopum sibi a Deo constitutum obti-
 nere poterant; E. & Bonitas ac rectitudo homini
 concreata talis fuit, qua finem sibi præfixum assequi
 poterat. hinc 2. finis hominis naturalis exigit &
 supponit naturalia media; Atqui felicitas æterna fu-
 it hominis innocentis finis naturalis; (non solum ra-
 tione appetitus, sed & ratione possibilis affecutionis)

C

E. quo-

E. quoque habuit concreata media & vires ad consequendum finem idoneas. 3. quia Justitia illa in posteros fuit propaganda. 4. quia oppositum ejus, labes originalis, in filios derivata, est naturalis, Eph. 2, 2. 5. quia, qualis est ratio reliquiarum, talis est & totius; At reliquiæ illæ sunt homini naturales; cum gentes naturâ faciant opus Legis, Rom. 2, 14. E. ipsa imago protoplastis fuit naturalis. 6. quia sententia adversa infert absurda 1. Concupiscentiam Spiritui repugnantem in Statu innocentia locum habuisse. 2. Luctam inter facultatem superiorem & inferiorem fuisse. 3. hominem nullam habuisse inclinationem ad Deum amandum. 4. Deum esse Auctorem peccati.

§. XXVII.

Agoscimus tamen Supernaturalem Dei Grati-
am s. indebitum favorem in isto Statu, quo DEUS
Protoplastos complexus est, & Auxilium actuale
sufficiens dedit, quo in concreata integritate stare
ac perseverare, & Corpus ex elementis constans a
dissolutione liberum conservare potuissent, si volu-
issent. quod ex Augustino appellant *Adjutorium sine
quo non* lib. de Corrept. & Grat. c. 11. *Tunc ergo dede-
rat homini Deus bonam Voluntatem: in illa quippe eum
fecerat, qui fecerat rectum: dederat adjutorium sine quo in
ea non posset permanere si vellet; ut autem vellet, in ejus reli-
querat libero arbitrio. Posset ergo permanere si vellet, quia de-
derat adjutorium, per quod posset, & sine quo non posset perse-
veranter bonum tenere, quod vellet. Sed quia noluit permane-
re, profecto ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si perman-
ere voluisset.* Vide in Thesib. Sedan. Pet. Molinæi de
Statu Innoc. th. 50. it. *Lud. le Blanc Thes. de Primi
Hom.*

Hom. Immortal. th. 34. 35. ac de Justit. Orig. th. 37.
38. 39.

§. XXVIII.

Justitia Originalis, eoque pars Imaginis divinae præcipua, per peccatum *amissa* est: in cujus locum in intellectu tenebræ, in Voluntate perversitas, atque alienatio a Deo successerunt. Tota tamen Imago Dei secundum omnes suas partes amissa ac penitus abolita non est. nam Scriptura post lapsum quoque hominem ad Imaginem DEI conditum agnoscit, Gen. 9, 6. Jac. 3, 9. Mansit enim in homine Animus, substantia spiritualis ac immortalis; cum eoque Intelligentia & Voluntas, cujus adjunctum est Arbitrii Libertas. Intellectui adhuc insunt Principia theoretica & practica: superest præterea particula Dominii in bruta. quæ per divinam Vocationem, Regenerationem, Conversionem ac Sanctificationem ad veram integritatem ac verum modum restauranda & evehenda sunt. *Pelagianismus* igitur hic ita vitandus est, ne incidamus in *Manichæismum*.

§. XXIX.

Locus habitationis s. *Sedes* primi hominis, in quem introductus, & ubi Eva creata est, fuit *Paradisus*, hortus amœnissimus, in plaga Orientali, respectu Judææ, situs, & quatuor fluviis irriguus. De cujus speciali situ variæ sunt sententiæ: Quidam enim Paradisum allegorice exponunt eumque extra hunc mundum locant; quibus diferta Mosis verba, adeoque Historiæ fides, contradicunt, Gen. 2, 8. seqq. Alii vel in orbe lunæ vel sub Zona torrida collocant; vel totum Mundum Paradisum faciunt, vel eum

sub Æquinoctiali vel in Syria vel in Insulis Moluccis, vel Philippinis, vel in Ceilan, vel in Palæstina, locis illis ubi Sodomæi olim habitaverunt, vel in Arabia felice, vel in Babylonia, vel in Armenia ponunt.

§. XXX.

Verisimillime autem in Mesopotamia, & quidem ea ejus parte quæ Babylonia dicitur; vel in Armenia, collocatur: nam 1. Paradisus situs erat in Eden; *Eden* a. erat pars Mesopotamiæ vel Babyloniæ, vel Armeniæ, 2 Reg. 19, 12. Jes. 37, 2. Ezech. 27, 23. c. 37, 12. 2. Paradisus erat ad Orientem; at Palæstina, cujus respectu hic loquitur Moses, habebat Babyloniæ & Armeniæ Orientalem, Gen. 25, 6. Num. 23, 7. 3. quia fluvii ex Edene promanantes hanc sententiam confirmant, Gen. 2, 10. seq. Vid. Cornel. à Lapide, Huetium, Relandum. &c.

§. XXXI.

Referunt *Judæi* Paradisum inter *septem res antecessulares*; quod tam de terrestri, quam de cœlesti Paradiso non nisi respectu Decreti divini admitti potest, Matth. 25, 34. *Hodie* eum *superesse* contendunt Pontificii quidam, ut Bellarm. de Grat. Prim. Hom. c. 14. rationibus domesticis adducti. Verum rectius alii, ex eorum numero, Pererius, Suarez, Corn. à Lapide, Oleaster, Jansen, Viegas, Aug. Steuchus, cum Protestantibus, adserunt, hortum illum aquis diluvii obrutum & eversum esse *Petavius*. Theol. Dogm. T. 3. de Opif. 6. Dier. l. 2. c. 5. §. 14. ut incerta in re nec Scripturæ autoritate comperta assensum cohibet, nec quicquam definit.

§. XXXII.

In Paradiso duæ Arbores plantatæ fuerunt: Prior fuit

Ar-

(21.)

Arbor Vitæ, in medio horti, partim *effective*, partim *Symbolice* ita appellata: *Effective*, quia virtute innata prædita fuit, instar optimi & efficacissimi alimenti, vitam hominis conservandi, facultatem nutritivam corroborandi, humidum radicale reparandi & æquabilem sanitatis & vigoris statum conservandi, donec in vitam cœlestem eveheretur; stylo Turretin. Theol. El. Loc. 8. qu. 5. §. 2. quam virtutem, præter nomen ipsum, probat locus Gen. 3, 22. ubi de Adamo Paradiso ejiciendo dicitur: *Ne extendat manum & sumat etiam de ligno vitæ & comedat & vivat in æternum.* estque hæc communis sententia Judæorum, Græcor. Pontificior. Lutheranorū, & ex Reformatis *Ben Aretii* Probl. Theol. Part. 3. loc. de Paradiso. *Parei* Disp. 9. Theol. 48. p. 185. it. Commentar. in Gen. c. 2. *Alstedii* Theol. Didact. Scholast. Sect. 3. c. 17. n. 10. p. 417. *Matth. Martinii* de Fœderis Nat. & Grat. Signaculis Tract. 1. c. 3. p. 34. *L. Crocii* Syntagm. Theol. 1. 3. c. 36. p. 902. *Pauli Testardi* Iren. f. Synopf. de Nat. & Grat. th. 10. p. 8. *Bucani* L. C. XI. qu. 14. 15. 16. *Wendelin.* Syst. 1. 1. c. 5. p. 376. 377. c. 7. p. 447. 448. non improbante Turretino c. l. *Symbolicam* præterea rationem habuit, quia homini integro Vitam immortalem tum significabat, tum obsignabat.

§. XXXIII.

Altera *Arbor Paradisiaca* fuit *Arbor Scientiæ Boni & Mali*, Gen. 2, 9. 16. quæ non ita dicta fuit a Tentatoris persuasionem, qua Evam aggressus est Gen. 3, 5. *Eritis sicut Deus scientes bonum & malum.* nam non ex Tentatoris persuasionem, sed Dei impositionem *Arbor* hæc nomen adepta est. nec a vi producendi & augendi acumen ingenii, solertiam.

C 3

tiamque ac prudentiam cogitandi; quod voluit Joseph. Antiq. l. i. c. 11. nec quod hæc ejus proprietas fuerit, ut qui comedisset ex illa, æquali inclinatione ferretur in bonū & malum, ut sentit *Menasse ben Israel* de Fragil. human. ex lapsu Ad. §. 5. n. 2. p. 40. & n. 8. p. 44. & quidam alii *Judæi*, quibus accedunt *Sociniani*, ut *Slichting* Notis ad *Grotii* *Vot. pro Pace* p. 9. 10. cum quibus consentit *Curcell. Rel. Chr. Inst.* l. 3. c. 13. §. 3. qui pro se etiam afferunt verba *Gen. c. 3. v. 7. & aperti sunt oculi amborum; & cognoverunt se esse nudos.* ex quorum hypothesi *Adamus* intelligentior factus fuisset post lapsum quam ante lapsum fuisset, cum tamen *Adamus* insigni *Sapientia* ante lapsum præditus fuerit, ut diximus §. 12. *Neq; aperti sunt oculi amborum ad videndum: nam & antea videbant; sed ad discernendum inter bonum, quod amiserant, & malum, in quod ceciderant.* ut ait *Augustin. de C. D.* l. 14. c. 17.

§. XXXIV.

Hinc *Augustinus* vult, hanc *Arborem* ita dictam esse per *prolepsin*, ab eventu, quod homo, suo malo, edendo didicerit, quodnam sit discrimen *Boni* & *mali*. quare post citata verba pergit: unde & ipsum lignum, eò quod istam faceret dignoscentiam, si ad vescendum contra vetitum tangeretur, ex ea re nomen accepit, ut appellaretur lignum scientiæ boni & mali. quam rationem probat *Theodoretus*, *Hugo Cardinalis*, *Torniellus*, *Novarinus*, *Rivetus*, *Mercerus* & *Lutherus* *Comm. in Gen. it. Tom. 4. Germ. fol. 17. de quibus vid. Christ. Chemnit. Diff. de hac Arb. §. 5.*

§. XXXV.

Cum qua sententia conjungenda est ea, quæ
Arbo-

(23.)

Arborem hanc facit *πειρασμὴν* f. *Probatoriam*, a probatione, quia obedientia hominis ea Arbore exploranda fuerit.

§. XXXVI.

Placuit autem Deo, ut Agenti liberrimo & Creaturarum suarum Domino supremo Arborem hanc Protoplastis prohibere, 1. ut declararet, se rerum omnium Dominum, Creaturam vero servam esse: seque Dominium absolutum rerum omnium retinere, quamvis creaturæ rationali concesserit dominium indirectum, adeoque non licere homini, suo arbitrato, vel pomum decerpere. 2. ut ostenderet Paradisum homini adsignatum esse non ut Domino f. Proprietario, sed ut Colono & Dispensatori, qui Dispensationis suæ rationem reddere teneretur. 3. ut Obedientiæ virtus eo magis eluceret, in re aliâ suâ naturâ indifferente. 4. ut elucesceret, verum hominis bonum non situm nec quærendum esse in rebus, vel deliciis, terrenis, sed in fruitione DEI.

§. XXXVII.

Qualis f. cujus speciei ea Arbor fuerit curiosius inquiritur quam utiliter: Sunt qui sentiunt, *Malum* fuisse, ut Augustin. de Gen. ad lit. l. 11. c. 13. Luther. in Gen. ex Cant. 8, 5. ubi tamen omnia sunt parabolica, quæ nullum solidum argumentum supeditare possunt. 2. alii opinantur, *Vitem* fuisse, quia Christus Eucharistiam instituerit ex fructu vitis, Matth. 26, 27. 29. Verum ab elemento Cœnæ S. ad speciem hujus Arboris nulla Consequentia vis est. 3. alii, v. gr. Theodoretus qu. 17. in Gen. statuunt, Arborem hanc fuisse *Ficum*, quia Gen. 3, 7. lapsi sibi
con-

consuerunt perizomata ex foliis ficus. cum tamen incertum fuerit, an perizomatium folia fuerint ex Arbore alia vel Arbore Scientiæ defumta, quia cum his vix in conspectum Dei prodire ausi fuissent, ut alia taceamus. quæ de aliis arboribus adferuntur, sunt multo incertiora. §. XXXVIII.

Circa Durationem Status Innocentiæ in excessu peccant Kabbalistsæ, qui vigesimo demum anno primos Parentes lapsos esse ex literis quibusdam evincere tentant. Alii tot annos stetitisse volunt, quot Adamus secundus, i. e. Christus, in terris egit, sc. triginta tres, qui morte sua expiavit hoc peccatum. Nonnulli, tot dies, quot Christus jejunavit, Protoplastorum edacitatem qf. pensaturus. Contra ea Thalmudici tempus nimis breve faciunt; neq; ultra 6. vel 8. vel decem horas perstitisse contendunt, reliquum diei & noctis tempus in mœrore ac Pœnitentia transegisse, quo referunt verba Ps. 49, 13. Adam in gloria non pernoctabit; proximo vero mane in gratiam receptum esse.

§. XXXIX.

Verum quamvis Tempus Perseverantiæ incertum nobisque ignotum sit; Videtur tamen aliquanto longius fuisse, nec tam exiguo spatio metiendum esse, non solum quia minus probabile est, eximium illud Dei opus vix integro die perstitisse, sed eodem, quo productum fuit, die concidisse, sed etiam quia Eva eo die vix condita fuisse videtur; nam introductio Adami in Paradisum, & denominatio Animalium, sopor Adamo immixtus & Evæ ex costa productio, id vix admittere videntur: præterea incredibile est, Evam recens productam tam longe ab Adamo

mo recessisse, ut Draco eodem die eam tentare & seducere potuerit.

§. XL.

Consentanea dogmati nostro de Imagine Dei sunt saniorum quorundam Sapientum Gentilium effata: quale est illud *Hieroclis* in *Pythag. Carmina* pag. m. 234. fin. 235. ἐστὶν ἀρετῆς εἰκὼν θεῶν ἐν ψυχῇ. εἰκὼν δὲ πάντων καὶ ἀδελφύων. δέεται πρὸς ἑωσέων. *Est Virtus ipsa Dei imago in animo rationis particeps; Eget a. Exemplari Imago qualibet, ut subsistat.* Cui fundamento egregia præcepta ad imitandum Deum tum Pythagoræi, tum Stoici & Platonici superstruunt: quale est illud *Epicteti* in *Arriani Comment. L. I. C. 12.* ἐπὶ θεῶν. & *Senecæ* de *Benef. l. 7. c. 31.* *Imitemur Deos!* it. *Marc. Anton. Imperat. l. 2. §. 5.* *Deo similis vita vivenda.* & *l. 5. §. 27.* *Vivendum est cum Diis.* Plato quoque finem Beatitude ponens, dicit, eum esse, assimilationem Deo, quoad ejus fieri potest.

§. XLI.

Opposita doctrinæ receptæ de Imagine Dei sunt dogmata I. *Gentilium*, quorum sensum refert *Seneca* Ep. 90. prope fin. *Quamvis egregia illis (primis hominibus) vita fuerit & carens fraude, non fuere Sapientes, quando hoc jam in Opere maximo nomen est --- Non erant ingenia omnibus consummata: non enim dat natura virtutem: ars est bonum fieri. --- quid ergo? Ignorantia rerum innocentes erant; Multum a. interest, utrum peccare aliquis nolit, an nesciat. Deerat illis Justitia, deerat Prudentia, deerat Temperantia ac Fortitudo. Omnibus his virtutibus habebat similia quedam rudis vita: Virtus non contingit animo nisi instituto & edocto & ad summum assidua exercitatione perducto. ad hoc quidem, sed sine hoc na-*

D

scimur:

scimus: & in optimis quoque, antequam erudias, virtutis materia, non virtus est. Consentit Justin. s. Trogus de Scythis inquit l. 2. c. 2. Erat in illis ignoratio magis vitiorum, quam cognitio virtutis. hucque quadrat Aristotelis axioma de Tabula rasa, cui nihil inscriptum sit, omnia tamen inscribi possint. Vide & Cicer. de N. D. l. 3. c. 36. 2. Pelagianorum, ap. Augustin. T. 7. l. 2. de Pecc. orig. c. 13. dicentium: Omne bonum ac malum, quo vel laudabiles vel vituperabiles sumus, non nobiscum oritur, sed agitur a nobis: capaces enim utriusq; non pleni nascimur, atque ante actionem propriam voluntatis id solum in homine est, quod Deus condidit. quorum vestigia premunt 3. Sociniani & recentiores Remonstrantes. Iis recte quidem 4. Scholastici Iustitiam originalem & Immortalitatis donum opposuerunt; quia tamen donum illud externum magis quam internum fuisse volunt, & præterea visi sunt adserere, hominem cum propensione naturali ad bonum corporale & sensibile, ad quod naturaliter per sensum & appetitum inclinaverit, conditum esse; unde pugna quædam in homine, inter partem superiorem & inferiorem, Corpus & Spiritum, ex conditione materiæ, oriri potuerit & orta sit; eapropter Protestantes iis non immerito contradixerunt.

§. XLII.

Quærentibus vero, annon Deus potuerit primos homines in Statu puræ s. meræ naturæ, vel in meris Constitutivis & Consecutivis condere? respondemus cum Pareo in Lib. Bellarm. de Grat. Prim. Hom. c. 6. Resp. ad rat. 4. Non dicimus, naturam humanam non potuisse a Deo sine Originali Iustitia creari: Nos enim terminum divinæ ponemus potentiæ? Saltem dicimus, Deum, cum hominem em

(27.)

minem integrum conderet, non potuisse seipsum negare, hominem integrum sine integritate condere.

§. XLIII.

Ratione figuræ corporeæ hic notandi veniunt §. Philosophi Epicuræi, qui Deo humanam speciem affingebant. teste Cic. de N. D. l. i. c. 18. *Anatura habemus omnes omnium gentium speciem nullam aliam nisi humanam Deorum: quæ enim alia forma occurrit unquam aut vigilanti cuiquam aut dormienti?* ib. *Quod si omnium animantium formam vincit hominum figura; Deus autem animans est, ea figura profecto est, quæ pulcherrima sit omnium.* secundum quorum erroneam opinionem 6. *Audiani & Anthropomorphitæ* Imaginem Dei in specie humana corporea ponebant.

§. XLIV.

7. *Kabbalistæ* quoque suum אדם קדמון *Adam Kadmon*, per quem Deum ipsum quibusdam intelligere creduntur, sub figura hominis exhibent: in qua hominis erecti forma Staturæ debitæ, cui os sublime datum, numerari queant 248. membra, dextro sinistroque & medio situ disposita; ut loquitur R. *Izchac Loria Tract. 1. Lib. Druschim c. 2. p. 36. fin. & 37. (Part. 2. Kabbale Denudata)* Vide ibi quoque Parte 4. Figuram XII. p. 237. quibus non solum cum R. *Jarchi & Lipmanno* afferendum est, Deum creasse hominem ad formam ac typum, quem ante Creationem in mente sua conceperat; sed & ad figuram אדם קדמון *Adam Kadmon*, ac proinde ad Imaginem in forma Corporis humani consistentem. nec tamen prætereundum est, *Henricum Morum* per *Adam Kadmon* intelligere *Christum*, qui & חכמה *Sapientia*, tum in Tabula Sefirotica, tum in scriptura vocetur: *Questionibus*

in

(28.)

in *Tractatus libr. Druschim* c. 2. §. V. n. I. & c. 4. §. I. & c. 5. p. 68. 71. 72. Part. 2. *Kabbalæ Denudatæ*. quem hodie non pauci sequuntur.


§. XLV.

Postremæ huic, quæ per *Adam Kadmon* Christū intelligit, hypothesi, affinis est §. *Andræ Osiandri* sententia, quæ statuit hominem ad Imaginem, faciem, & staturam, corporis Christi, suo tempore in carne apparituri, creatum esse. auctore *Schlüsselb. Catal. Hæret.* l. 6. p. 48. Cui præluserunt *Tertullianus*. *Prudentius*, *Eugubinus*, teste *Petavio* *Theol. Dogm.* T. 3. lib. 2. de *Opific.* sex *Dier.* c. 2. §. 2. 3.

§. XLVI.

Fidelium est summa ope niti, ut, Gratia divina adjuti, renoventur ad veram ac cœlestem Sapientiam, Justitiam & Sanctitatem! qui est Creationis, ut & Redemptionis, Vocationis, Regenerationis, Justificationis, ac Sanctificationis nostræ

F I N I S.



1. Neuhaus de Fatis Adami.
2. Holficus de Homine.
3. Idem de imagine Dei in hoc.
4. Hottinger de auxilio Dei et.
5. Hugoninus de Concursu Dei.
6. Cauterius de Providentia Dei.
7. Holficus de Providentia.
8. Gurd de Lapsu primorum hominum.
9. ~~Gurd~~ de Angelis bonis et malis.
10. Tillemannus de Certitudine fidei.
11. Useel de Decalogo.
12. Harsus de tribus scitu necessariis.
13. Ejusd Continuas.
14. Masceovius de curiosa Theologia.
15. Schmidius de Utilitate Reliq: Evangel:
16. Mieg de Gratiae div: pgressu.
17. Jablonoski de indulgentiis.
18. Zulfinger de natura Studii Theolici.
19. Holficus de Paenitentia.
20. Ejusd de conversione.

penitius de gratuita Justificacoe.
Korheim Triga Observacium
Korheim de paupertate mentis
Korheim de operarijs in vinea.
Kirchmeier de Baptismo Ignis.
Ketersen de vbo Sabactari.
Kirchmeier de negotio salutis circa infantes.
Kaiser ad Locum Luc: 23.
Lampe de Titulo Evangel: Johannis.
Krieger de aqua baptismi.
Krieger de Encanis Judaeorum.
Krieger de Lege Moysis per angelos data.
Krieger de Alpha de Historia Pauli Apostoli.
Krieger de Barnaba et;
Krieger de Deo suscitante Xtum ex mortuis.
Kriegeri Heermannii Analysis Cap: 9. ad Roos.
Krieger ad Locum ad Roos XII. 42.
Lampe de Ecclesia Apostolica.
Krieger de Stella ex Jacob.
Krieger de Benedictione Sacerdotali.
Krieger de Blasphemi mysterio.
Krieger de Libamine in mensa sacra.
Krieger de fertis instrumentali.

49. Disf. de Lectione legis solennis.


50. Elsnerus ~~de~~ ad Reg: 18.


51. Marck ~~de~~ ad 2 Reg: 8. 10.

52.


Handwritten text in the left margin, possibly a list or index, including numbers and letters.

Handwritten text at the top of the page, including a date "1789" and some illegible words.









Fatis Adami.

Homine
agino Di in hoc.
de auxilio Di et
de Concursu Di.
de Providentia Di
de Providentia
Lapsu primorum hominum.
Angelis bonis et malis.
de Certitudine fidei.
de Ecologo.
tribus scitu necessariis.
de Continuo.
de curiosa Theologia.
de Utilitate Relig: Evangel:
de Gratia div: operis.
de indulgentiis.
de natura Studii Theolici.
de Poenitentia
de conversione.